



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Præbendis & dignitatibus. Consilium CCXXVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98691](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98691)

minus Impetrans à Domino Pastore prior obtinuerit literas præsentationis, & super illis literas proclamatorias, & per hoc ipsi sit acquisitum irrevocabile jus ad hoc beneficium etiam ante institutionem; Pastori variare non licuerit, cum patronus sit Ecclesiasticus, ut expresso jure constitutum est, in c. Cum autem & c. Pastoralis De iure patron. aperte deprehenditur Impetrantem in præsentatione esse priorem, imò solum: comparatio enim prioris & posterioris ex simili facto alterius desumitur, l. Qui duos post princ. De reb. dubijs; quia scilicet non invenitur dictum Opponentem habere aliquam collationem, provisionem, vel præsentationem: imò ne hoc quidem, quod sit beneficii capax, quia de ejus clericatura nihil omnino constat, sine qua beneficium Ecclesiasticum obtineri non potest, c. Cum adeo De re script. c. Ex literis De ransact. Proinde ex solo hoc capite obtinere debet Impetrans, quod solus habeat præsentationem à vero Collatore; & promissio, quam Opponens præterdit, titulum non præbeat: ideoque ad nudam ejus, quam præterdit promissionem, non possit accommodari aliqua Canonica institutio. Cum alioqui si res postulare multa possent proferri pro demonstratione, quod hujusmodi asserta promissio obligationem nullam contineat: sed non de re revimus superflua deductioni insistere; cum extra omnem dubitationem sit causa Domini Impetrantis.

De Præbendis & dignitatibus.

S V M M A R I U M.

Valoris expressio.

1. Titulus coloratus requiritur in possessorio iudicio beneficii.
2. Valoris falsa expressio vitiat.
3. Regula Cancellaria de valore exprimendo pertinet etiam ad collationes, quas faciunt Legati sedis Apostolicæ.
4. Consuetudo contra Sedem Apostolicam non valet.
5. Quæcumque beneficia Regni Franciæ impet. antur sub valore 24. ducatorum.
6. Regula Cancellariæ ubique locum habent.

CONSILIUM CCXXVI.

I V R I S effectum habere non potest provisio de præbenda sive vicaria animarum Ecclesiæ S. Petri Traiectensis per Reverendissimum Dominum Hieronymum Bononiensem Sedis Apostolicæ Legatum facta Arnoldo Loetz; & ne quidem tantum tribuere, ut ad colorati tituli acquisitionem ei prodesse possit: * quia cum omnis possessio beneficii Ecclesiastici sine præcedente probabili seu colorato titulo sit ipso jure nulla, c. Beneficium de reg. iur. lib. 6. & ad obtinendum in iudicio possessorio non prodest, consequens est, ut dicamus in causa retinendæ possessionis seu manutentionis, quæ inter dictum M. Arnoldum & Theodoricum Veldingen in Concilio provinciali Traiectensi indecisa pendet, provisionem Apostolicam nisi omnino facere ad victoriam dicto M. Arnoldo parandam. * Idque unica & judicabili ratione; quod scilicet ad suggestionem Arnoldi, expresso dicti beneficii falso & longè minore, quam revera est valore, viginti quatuor

scilicet ducatorum, facta sit dicta provisio. Veri enim valoris suppressio, & falsi expressio facit, ut gratia impetrationis, seu provisionis sit ipso jure nulla, gloss. in Clem. de præben. Felin. c. Ad aures in 2. conclus. & ibi d. Decius in 3. conclus. De re script. Rota decis. 336. alias 47. nota secundum opinionem De re script. in antiq. Steph. Bertrand. consil. 111. Etiam si verum esset vol. 1. parte 1. Quomodo etiam specialibus & perpetuis singulorum Pontificum regulis Cancellariæ, in altera assumptionis cujusque editis sæpè cavetur & ordinatur, ut falsi valoris expressione interveniente, omnes gratiæ super beneficiis sint ipso jure nullæ, Lud. Gomes ad reg. cancell. tit. de valore exprim. in princ. Quod dubitationem non habet, cum Bullæ non sit inserta clausula, pro expressis habentes, vel beneficium motu proprio non confertur, Rebuff. in praxi benef. tit. declaratio nove provisionis in verb. eorumque fraudum; quorum neutrum in provisione prædicta deprehenditur.

† Quæ quidem regula etiam tantum videatur pertinere ad gratias Apostolicas, hoc est Papales; ex ratione tamè perinde pertinet ad eas, quæ per Sedis Apostolicæ Legatos factæ sunt, ut multis & elegantibus rationibus deduxit, & in Rotæ Auditorio pronuntiatum fuisse scripsit Lud. Gomesius, regularum Cancellariæ Apostolicæ exactissimus Interpres, ad d. reg. de valore exprimen. quest. 2.

Neque ad rem facit, quod Pragmatici quidam existiment sub taxa viginti quatuor ducatorum impetrari posse quæcumque & cujusunque valoris beneficia: nam id nullo jure cautum invenitur; sed ex adverso, ut diximus, verus valor exprimendus est, quia falso expressus vitio nullitatis gratia ipsam afficit: & è diverso aliud vel contrarium consuetudine receptum esse nec allegaverit nec probaverit præfatus Arnoldus, ideoque nullus illius usus in hac causa esse possit, c. 1. de consue. lib. 6. In bello § facta De capt. & possim. rever.

Cum alioqui & de eo dubitari posset, num ejus generis consuetudo recipienda esset, quæ Romanæ Ecclesiæ gravamen inferret adversus Pontificum regulas toties renovatas; cum vix sit ut triginta vel quadraginta, & ne quidem centum annorum spatium (quod requiritur in præscriptione adversus Romanam Ecclesiam, in Auth. v. Romana Eccl. cent. annor. gaud. præscrip.) ac hujusmodi consuetudinem stabiliendam sufficere videatur, c. 1. de consue. † Causa erroris, cur scilicet id plerique existiment sub expressione valoris viginti quatuor ducatorum quæcumque beneficia impetrari posse est, quod in Regno Franciæ id receptum sit consuetudine seu potius autoritate Regis, paulò liberius in quibusdam adversus Pontificias constitutiones agentis, & annatarum solutionem in Regno suo prohibentis; sic ut expressio viginti quatuor ducatorum formalis tantum sit pro observatione styli signaturæ Apostolicæ retenta, Petrus Rebuffus in praxi benef. tit. Tertia pars signat. in verb. Nec non verus valor. At cum in Episcopatu isto Traiectensi nihil tale sit receptum, sed in beneficiis causis dispositio juris communis & auctoritas Sedis Apostolicæ observetur; † & 6 regulæ Cancellariæ ubique locum habeant, nisi ubi via facti excluduntur, Lat. Lud. Comes. ad proximam regul. Cancell. quest. 2. dicendum est, expressio-

nem

nem viginti quatuor ducatorum in proposito non sustinere titulum dicti Magistri Arnedi: cum verus & communis valor duplo maior sit, & vitium nullitatis contrahatur per falsi valoris expressiōnem. Quod enim nullum est, nullum juris vel facti effectum habere potest.

De præbendis & dignitatibus.

S V M M A R I V M.

Beneficij valor quomodo constituatur.

1. Aestimatio rei cuiusque quomodo facienda.
2. Valor beneficij taxandus ex decima Papali.
3. Valor beneficij quomodo constituatur.
4. Fructus intelligitur deductis expensis.
5. Anniversaria an computentur in valore beneficij.
6. Taxa beneficij pars gratie est.

CONSILIVM CCXXVII.

NON exigua est dubitatio in eo, quod pro parte M. Antonij Merel proponitur adversus M. Ioannem Six, quâ ratione ineunda sit aestimatio & valor fructuum ac proventuum parochialis Ecclesiæ S. Stephani in oppido Insulensi, quam M. Antonius dicit excedere summam sexaginta ducatorum de camera, (quæ secundum nostram monetam non pertinent ad viginti tres libras grossorum monetæ Flandriæ) ex eo, quod hæc Ecclesiâ aliquando ebrenta fuerit sub pensione viginti quatuor librarum Flandriæ: ita ut inde colligi possit, quod circiter quinquaginta libras communibus annis valeat; cum pensio medietatem excedere communiter non possit, *Gigas de pensib. quest. 35.* Ex eo item, quod fructus & proventus eisdem Ecclesiæ pluribus annis locati, seu in arrendam dati fuerint pro quinquaginta consimilibus libris * Aestimanda enim rei modus est ex antecedentibus locationibus & pensionibus, quæ ex eius usu per plures annos præstitæ sunt, in *Auth. De non alienan. aut permutan. §. quia vero in fine coll. 2.* * Quemadmodum iniuri solet aestimatio valoris & taxa beneficij ex decima Papali, quæ de fructibus beneficij percipi solet, *Oldrad. conf. 118. Ex virtute n. 6. Ioan. Staphil. in tract. De licet. gratia ut. de forma expectat. forma 3. nu. 13. Rota decis. 277. alias 42. Nota quod ubi vapo de rescript. in antiq.*

Contra dictus M. Ioannes non excedere dicit, ob id, quod corpus huius beneficij exiguum sit, & in portatis; hoc est in fructibus, deductis omnibus expensis & oneribus, prædictos sexaginta ducatos annuè non habeat. * Quam rationem aestimandi beneficia plerique approbant, *Oldrad. conf. 118. Rota decis. 134. alias. Quando impetratur de præb. in novis:* ut valor beneficij non constituatur ex utilitate, quæ residendo & beneficio deserviendo percipi potest, sed quæ in absentia percipitur, *Rebuff. in tract. nominat. quest. 9. nu. 25.* ita ut nec quotidianæ distributiones, *Rota decis. 766. Quæritur an quotidianæ, alias est 39. de præbend. in antiq. Staphil. loco supra cit. Boerius decis. 340.* nec mortuaria seu anniversaria, *Ioan. Andr. in addit. ad Specul. de conec. præben. sub fin. ad rubr. valorem augeant;* sunt enim hæc incerta, & non ex corpore beneficij, sed propter operam personalem præstantur, & cessante præsentia atque operâ auferuntur. Contendens præ-

rea in constituendo hoc valore onera beneficij esse deducenda: * cum enim in fructibus non sit nisi quod deductis expensis superest, *l. Subsignatum §. 1. l. Venisse de verb. signif. si ut beneficij seu potius fructuum beneficij valorem diminuunt onera & expensæ, non tantum quæ fructuum colligendorum percipiendorum quæ causâ sunt, Felon. in c. ad nostram nu. 5. De iureiur. Franc. Aret. in l. Non amplius in princ. deleg. 1. verum etiam quæ perceptis fructibus decedunt, vel ex illis seu propter illos præstantur: ut g. bellæ, *Franc. Aret. in d. l. Non amplius in princ.* reditus seu pensiones, quibus fructus gravati sunt, *Decius conf. 156. statutum, Gigas de pensib. quest. 87.* item alia expensæ necessariae pro alendo clerico, vel alijs, si necessitas postulet, qui beneficiato interviant, *Guliel. Cassad. decis. 19. de præben.* Quinimo contendit M. Ioannes deducenda quod esse alia onera, quæ dictæ Ecclesiæ incumbunt, ratione officij, ut id deducatur, quod vicario daturus esset eo nomine, si ab eis per eum deserviret beneficio: deducenda item omnia, quæ residendo familiæ sustinenda in esculentis & poculentis, in mercedibus famulorum & famularum expendere debet: sic ut valorem ipsius beneficij ad nihilum ferè deducat.*

Verum ut probabiliter id sustinet de quotidianis distributionibus, de anniversarijs, & oblationibus atque oneribus rei coherentibus, & quibus ipsi fructus proximè gravati sunt; ita multum & plusquam improbabiler deductionem hanc latius facit ad onus ipsius officij, ad quod beneficium adstringitur, & propter quod fructus primariè percipiuntur; Multo quæ improbabilius ad onera, quæ sustinet in se suaque familia exhibenda ac sustinenda. Fructus enim beneficij secundariò ad hoc dantur, ut qui deservit altari ex illis vivat; ita ut sit conjunctio inter ipsum beneficium, fructus, & hæc onera: & officium sit velut causa efficiens ex qua, onera verò causa finalis, ob quam percipiuntur. Alioqui avaritiæ & thesaurisationi Ecclesiasticorum (quæ improbantur, *Matthæi c. 6. c. Habebat xxii. q. 2.*) nimium subliviret, si pro fructu & valore beneficij tantum reputaretur quod ita percipitur, nullatim reponi ac recondi, non exponi possit.

Sed nec illud permittendum est, ut ex fructibus pro imminuendo valore beneficij deducatur quod vicario beneficiatus ab eis pro officio præstare deberet: cum enim per se ipse deservire debeat; vicarij opera & merces deducenda non est, *c. Extirpanda §. qui vero de præben. Cassador. d. decis. 19.* Quod cum verum sit, consequens quoque est, aestimationem operæ & officij, ad quod ratione huius Ecclesiæ Pastor obligatus est, nihil facere ad diminutionem valoris. Et quod de clerici expensis deducendis dictum est, *Cassador. d. decis. 9.* non ad famulos domesticos referendum, sed ad clericum in officio ipso necessarium, qui Missam vel officium facienti assitit & respondet; quem in dicta Ecclesia Pastor specialiter constituere non debet, cum custodem seu matricularium habeat specialiter salariatum, qui hoc onus sustineret: multo minus ad famulas, quas neque singulas, neque multas sine reprehensione habere potest, *tozo tit. De cohabit. Cleric. & mulier.*

De